



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 38. Benedicti obitus. Nicolaus I. Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX. tuisset, in Fide constantes capitis dam-  
 A. C. 858. navit. Ducuntur ergo, in ripa fluvii  
 plectendi, signo Crucis ad ultimam lu-  
 ctam se muniunt, & prior Rudericus per-  
 cutitur. Amborum corpora exposita, &  
 deinde sicut ceterorum Martyrum in flu-  
 vium projecta. Eulogius Presbyter co-  
 rum beatam mortem a rumore publico  
 edoctus, Missa celebrata, ad spectanda  
 Martyrum corpora exiit, viditque quos-  
 dam Infideles, e flumine lapillos, qui  
 Martyrum sanguine aspersi erant, fume-  
 re, & eos aqua abluentes in flumen rur-  
 sus projicere, ne a Christianis tanquam  
 Reliquiæ conservarentur. Passi sunt au-  
 tem 13. Martii, Æra 895. anno Salutis  
 857. qua die etiam ipsorum memoria ab  
 Ecclesia colitur. Corpus S. Ruderici  
 post spatium trium Septimanarum inven-  
 tum & ab Episcopo Cordubensi in Mo-  
 nasterio S. Genesii in Vico, qui *Tertios*  
 dicebatur, conditum, at corpus S. Sa-  
 lomonis in Vico *Colubris* in Ecclesia SS.  
 Cosmæ & Damiani sepulturæ datum.

*Martyr. R.*  
*13. Mart.*

§. XXXVIII.

*Benedicti Obitus. Nicolaus I. Papa.*

*Anast. in*  
*Ben. Papebr.*

Cum Benedictus III. Papa non plus duo-  
 bus annis & dimidio in Cathedra Pe-  
 tri sedisset, obiit decima Martii anno 858.  
 Una Ordinatione mense Decembri crea-  
 vit Presbyteros quinque, Diaconum  
 unum,



unum, & Episcopos per diversa loca sexa- Sæculum IX,  
A. C. 858.  
ginta sex. (\*) Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum Exequiis interesse solebat, constituitque, ut sui etiam Successores defunctis eundem honorem exhiberent. Quinque non plus diebus S. Sedes vacavit, electusque est Nicolaus I. Theodori civis Romani filius. Eum Sergius Papa e domo paterna evocatum, & in Palatium Patriarchale receptum Subdiaconum, Leo IV. autem Diaconum ordinavit, quem deinde Benedictus tam carum habuit, ut pæne ad Regiminis consortium adlectum a latere suo divelli non pateretur. Benedictum defunctum Nicolaus cum ceteris Diaconis humeris suis ad sepulchrum detulit. Ludovicus Augustus, qui brevi ante ex urbe discesserat, comperta Benedicti Papæ morte celeriter rediit. Moxque Clerici, Optimates totusque populus ad eligendum alium Pontificem congregatus, cum per aliquot horas deliberassent, unanimi consensu statuunt promovere Nicolaum Diaconum, eumque in Ecclesia S. Petri latentem (quippe se tanto fastigio indignum dicebat) quæsitum accurrunt. Adhibita vi inde producitur, inter cunctorum plausus in Palatium Lateranense invehitur, Apostolico Throno imponitur, dein-

---

(\*) Alii dicunt, viginti.



Sæculum IX. deinde ad S. Petrum reductus, Impera-  
A. C. 858. tore præfente consecratur iterumque in  
 folio collocatur, ubi Missam supra Cor-  
 pus S. Petri celebravit. Tandem in Pa-  
 latium Patriarchale, omnibus inter Can-  
 tica spiritualia procedentibus, reversus,  
 tota Civitate maximæ lætitiæ signa eden-  
 te, vigesima quarta Aprilis coronatur.  
 Post biduum mensæ Imperatoris affedit,  
 qui cum deinde ad locum, quem Roma-  
 ni Quintum appellabant, fuisset profe-  
 ctus, eum Pontifex invisit, cui Augustus  
 ad mille passus obviam pergens & ex e-  
 quo desiliens stratoris vicem ipsi nava-  
 vit. Ibi iterum Papa & Augustus simul  
 cibum sumserunt. Tandem Imperator  
 Pontificem magnis donis cumulatum &  
 Romam revertentem aliqua viæ parte e-  
 quo vectus comitatus est; antequam ve-  
 ro in diversa abirent iterum Cæsar e-  
 quum, cui Papa insidebat, apprehenso  
 freno ad multos passus rexit.

## §. XXXIX.

*Ecclesiæ Bremensis & Hamburgensis  
 conjunguntur.*

*Adam. I. c.*  
*17. Sup. n. 18*  
*vit. S. Ansch.*  
*n. 38.*

Sub initium Pontificatus sui, eodem an-  
 no octingentesimo quinquagesimo o-  
 ctavo, Nicolaus Papa conjunctionem Ec-  
 clesiarum Bremensis & Hamburgensis  
 S. Anscharii commodo confirmavit. Nam  
 cum Guntherium, postquam Sedes annis  
 circi-